

Johann Friedrich Heynatz

Commentatio ... De Archaismo Romano Cognitionisqve Eivs Mvltiplici Vtilitate

Prima : : Diebvs VIII. Et VIII. M. Aprilis In Avditorio Maiori Institvendvm ...

Traiecti Ad Viadrvm, [1777]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691865354>


Band (Druck) Freier  Zugang





K. p. - 395 (9.)
N. p. - 395 (9.)





COMMENTATIO PRIMA 19
DE
ARCHAISMO ROMANO
COGNITIONISQVE EIVS MVLTIPlici
VTILITATE

QVA
AD EXAMEN LYCEI CIVITATIS NOSTRAE
EVANGELICO-LVThERANI
PVBLICVM

DIEBV8 VIII. ET VIII. M. APRILIS
IN AVDTORIO MAIORI INSTITVENDVM
SERENISSIMVM PRINCIPEM
BRVNOVICENSEM
AMPLISSIMVM VRBIS SENATVM
TAMQVAM LYCEI PATRONVM
AC NVTRITOREM

EPHORVM SVMME REVERENDVM ATQVE
GRAVISSIMVM

OMNES DENIQVE QVI NOSTRAE REIBENECPVIVNT
EA QVA ERGA QVEMQVE MAXIME PAR EST
VERECVNDIA OBSERVANTIA HVMANITATE

INVITAT

SIMVLQVE ORATIONES QVASDAM
PRAECEPTORVM

ABEVNTIS INAVGVRANTIS INAVGVRANDORVMQVE
CVM IP8O INAVGVRATIONIS ACTV

IN DIEM EIV8DEM MENSIS X. REIECTO

INDICIT

M. IOANNES FRIDERICVS HEYNATZ
LYCEI RECTOR.

TRAIECTI AD VIADRV8,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.
1777.

Exemplar Obsequii R. Int.

COMMITTITIO PRIMA
ARCHAISMO ROMANO
COGNITIONE ET FIDEI MULTIPLEX
VITAE

AD EXAMEN FACI CIVITATIS NOSTRAE
EVANGELICO PATRIANI
DIEBUS VIII ET VIII M. ANNO
IN AVORTIONIS GUSTITIA
SERENISSIMO M. P. R. IN G. P. R. M.
BY NOTICIA
ANIMISSIMO VELLE S. N. A. V. A. V. A.
AC PATRIAM
ETIOVM SVAM REVERENDVM A. R. V. E.
GRAVISSIMVM
OMNES DEIQVE OBTINERE REVERENTIA
EA QVA TROA QVOMQVE MAXIME PAR EST
VERECUNDIA OBSERVANTIA HUMANITATE

TRIVITAT
SIMILIOVE ORATIONES QVADAM
PRAECEPTORVM
ARBITRIS INAVANTIBUS INAVANTIBUS
QVI ISO INAVANTIBUS ACTV
IN D. H. F. I. D. E. M. N. E. N. S. I. S. R. E. I. G. E. S. T. O.
M. I. O. A. N. N. E. S. E. R. I. D. I. C. I. O. S. H. E. Y. N. A. T. I. S.


TRAVECTI AD RINDEPAM
KXIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERT



CONSPECTVS INTEGRÆ COMMENTATIONIS
CVIVS
PARTEM TANTVM MODO PRIMAM
HIC EXHIBEMVS.

- §. I. *Archaismus quid, et quoruplex.*
§. II. *Vnde notitia eiusdem haurienda.*
§. III. *Vsus primus antiquae locutionis in exponendis veterum scriptorum monumentis.*
§. IV. *Secundus in ea artis criticae parte, quae loca deprauata sanitari pristinae restituere veramque lectionem reducere conatur.*
§. V. *Quid obseruandum sit circa aetates archaismorum, vbi etiam de vsu eorumdem hodierno.*
§. VI. *Vsus reuertus in detegendis primis vocabulorum significationibus.*
§. VII. *Quartus in deriuationibus vocum recte instituendis.*
§. VIII. *Fructus ex notitia archaismi ad orthographicam rationem redundans.*
§. IX. *Quintus in anomaliis tam etymologicis, quam syntacticis ad analogiam reducendis.*
§. X. *Sextus in enodandis quibusdam difficultatibus prosodicis.*
§. XI. *Obseruationes miscellae.*

§. I.

 *Archaismum* recentiores (*) artis oratoriae atque grammaticae magistri vocare solent antiquos in lingua viua loquendi atque scribendi modos, qui paullatim in vsu esse desierunt. Quemadmodum autem nulla vmquam lingua populi vsu trita sine notabili ac varia immutatione diu consistere
A 2 pot-

*) Latine et antique cum QVINCTILIANO *Inst. orat.* I, II. dixeris *veterem loquendi consuetudinem*; archaismorum autem studiosus a veteribus dictus est *antiquarius*, item *vetustus*. Vide GESNERI thesaurum hh. vv.

potest (*): sic Latinae praesertim id contigit, ut inde ab aevo Caesariano Augusteoque formam ac quasi figuram certam illam ac stabilem acciperet a pristina et antiqua regionum istarum consuetudine immane quantum distantem. Factum est igitur, ut Augusti tempore, multo autem magis sub insequentibus imperatoribus plura non intelligerentur, quae prior aetas frequentauerat, aut etiamsi intelligerentur, e sermonibus tamen et scriptis Romanorum hominum fere exfularent. Bonis scriptoribus nihilominus venia semper data est, antiquiora nonnulla subinde repetendi, utpote quae orationem, parce et suo loco inexta, non minus, quam totidem gemmulae, ornant, atque insigni gravitate conspicuam reddunt (**), unde nec optimi aetatis Caesariae Augustaeque auctores iis adhibendis plane abstinerunt. Nobis, postquam lingua Latina inter viuas esse desiit, Archaismorum nomine venire solent omnes vel voces, vel flexiones, vel locutiones atque constructiones, quae Augusti tempore iam in desuetudinem apud plerosque abierant. Hanc normam secuti quidquid aetatis aureae (ut vulgo loquuntur) auctores usurpare sustinuerunt, et ipsi nobis volentes lubentesque (paucis tamen audacioribus exceptis) indulgemus, praesertim quando in eodem orationis genere hoc fiat, siquidem poetis haud paullo plus quam oratoribus, historicis atque philosophis minus licere non ignoramus. Quare litteram quoque illam, quae de archaïsmis **PLAVTO** et **TERENTIO** obiectis mota est, nullo negotio ita confici posse arbitramur, ut ipsorum tempore archaïsmos plerosque non fuisse dicamus, qui sicut Cicerone, Horatio aut aequalibus eorum adhibita forent, sine iniuria potuissent hoc nomine insigniri. Contra quaedam **LVCRETII** atque **SALLVSTII** et flexiones et significationes archaïsmi, vitiosi quidem, notam vix effugere, constans ac perpetua eruditorum sententia fuit. Iam cum quid nobis sit archai-

*) Notum est, Arabum linguam per plura secula atque milliaria adeo vix quidquam ex quorundam doctorum sententia esse immutatam, in quibus **I. G. SVLZERVS** in *kurzem Begriff aller Wissenschaften* §. 24, et **IOSEPH. FRID. SCHELLING** in *der Abhandlung von dem Gebrauch der Arabischen Sprache zu einer gründlichen Einsicht in die Hebräische* p. 9. Rem tamen longe aliter se habere ex itinerariis nouissimis discimus.

) **QVINCTILIANVS I, 10: Verba a vetustate repetita adferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione; nam et auctoritatem antiquitatis habent, et quia intermissa sunt, gratiam nouitati similem parant. Adde lib. VIII. Cap 3.

chaismus, abunde explicuerimus, ad genera eius indicanda per-
gimus, quae quinque esse nemo ignorat. Est enim archaismus
vel *significationis* (lexicæ), vel *scripturae* (orthographicus),
vel *flexionis ac derivationis* (etymologicus), vel *constructionis* (syn-
tacticus), vel denique *quantitatis* (prosodicus). Singulorum ge-
nerum exemplis quibusdam quasi per lancem saturam adlatis rem
illustrabimus (*). Vt ergo I. de *archaismo significationis* dicamus,
LENO scriptoribus aurei seculi significare solet cauponem mere-
trices alentem, TERENCE autem et PLAVTO significat *man-
cipiorum utriusque generis mercatorem*, quomodo apud vtrumque
recte reddidit ANNA DACERIA (**). OFFICIUM apud Ci-
ceronem aliosque significat, quod facere nos oportet, apud Te-
rentium autem interdum illud significat, quod quis facit (***)
Hinc genitiuum verbo substantiuo iunctum recte explicant per
ellipsis vocis officium, vbi autem officium saepe sensu antiquo ac-
cipiendum est pro opus; v. c. in illis CICERONIS *offic. I, 28, 10.*
negligere quid de se quisque sentiat, non solum ARROGANTIS
est, sed etiam omnino DISSOLVTI. Quaedam vocabula ab iis,
qui aetatem auream praecesserunt, analogice efficta sunt, nec
tamen iis contigit, vt ab insecutis scriptoribus repeterentur. Huc
pertinet *agrosus* VARRONIS hominem notans multos agros pos-
sidentem. Multa *ἀνααλόγως* formata apud antiquiores obuia
iis relicta, nec quisquam posteriorum iis vti dignatus est. Ex-
emplo sit verbum *andruare* siue *amtruare* cum composito (aut de-

A 3

com-

- *) Exempla ex innumera farragine seligemus tantum insigniora, eodemque
tempore dabimus operam, vt ea praecipue congeramus, quae a grammati-
cis vulgaribus fere praetermittuntur.
- **) *Lenonem* proprie non esse, nisi mercatorem, dilucidissime demonstratur loco
TERENTII *Adelph. II, 2, 15* seqq. „Aiunt te proficisci Cyprum. Coemisse
hinc quae illuc veheres multa. SANNIO. *Emtae* mulieres complures, et
item hinc alia, quae porto Cyprum. Nisi eo ad *mercatum* venio, damnum
est maximum.“
- ***) Locus classicus huic significatui illustrando est *Andr. I, 5, 1.* *Hoc inest huma-
num factam aut inceptum? hoc inest OFFICIUM patris?* Vbi quibus videt
officium non esse obligationem ad agendum, sed agendi tantummodo ra-
tionem. Reliqua loca Terentii huc facientia sunt *Andr. I, 1, 87. II, 1, 30.*
Heaut. I, 1, 14. III 3, 19. Adelph. II, 4, 18. Phorm. I, 2, 89. II, 1, 52.
In Cicerone significatum hunc inuenisse se negat TAN. FABER ad *Andr.*
I, 5, 1. vid. tamen Cortium ad Cic. *epist. III, 4, 13.* Donatus ad eundem
Terentii locum *officium* deriuat ab *efficiendo*, quod rectius puto, quam
a *faciendo ob alios*, nisi maus cum Becmanno ab *opificio*.

composito, si maui) *redandruare* siue *redamruare*, quo significatur certus Saliorum (*) salendi modus apud Lucilium. Quod II. ad *archaismum orthographicum* attinet, scimus antiquissimis Romanis litteram *g* nondum in vsu fuisse, sed *c* eius loco esse adhibitum. Consonantes non duplicatae sunt; terminatio tertiae personae non *it*, sed *et* scripta fuit. Habes tres obseruationes istas coniunctas in vna voce *ceset*, quae in inscriptione antiqua columnae Duillianae, vetustissimo orthographiae Latinae monumento (**), legitur pro *gestit*. Ex NORISII *Dissertatione quarta ad Cenotaphia Pisana* (***) constat, Cicerone antiquiores *q̄* X subiunxisse litteram *S*, et v. c. scripsisse *maxsumus* pro *maximus*; tantum abfuit, vt olim *S* posterioris vocis in compositione negligenter, quod multi et hodie faciunt, qui v. c. scribunt *exul*, *expeito*, *exto* pro *exful*, *exspetto*, *exsto*, immo etiam *expes* pro *exspes*. III. *Archaismus etymologicus* vel formatione et repraesentatione vocum spectatur, vel flexione. Nomina quaedam in *or* desinentia a veteribus interdum in *os* fuisse repraesentata tralatitium est. *Labos*, *arbos*, *honos* cui vel iuniori ignota sunt? Sed antiqui etiam dixerunt *amos*, *clamos*, *colos*, *ianitos*, *odor*, *timos*, *vapos*. Et ipsi comparatiui desinebant in *os*, v. c. *meli-os* (****). Nos iam a *iuuenis* formamus *iuuenilis*; antiqui *iuuenalis*, vt in correctioribus Virgilii (*****) editionibus semper legitur. Verba inchoatiua pleraque ex vsu recentiorum in *esco* exeunt. Antiquis non raro desinebant in *isco*: *augisco*, *flaccisco*, *incuruisco*, *lucisco*, *putisco* (*****). Nominatiui plurium nominum aliter, ac postea factum est, repraesentabantur. Nondum dictum est *Iupiter*, *sanguis*, *aedes*, *iecur*, *iter*, *mortifer*, *vetus* sed

*) QVINCTIL. I, 10. Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta ait.

**) Inscripção Columnae Duillianae s. rostratae exstat ap. Nieupoortum Hist. Rom. T. I. p. 264. Commentarius PETR. CIACCONII in eandem adiungi solet eiusdem Tractatui de ponderibus et mensuris. Separatim prodiit Rom. 1569. 8. Exstat item Tom. III. Antiqq. Romm. Graeuii. Inuenies etiam et mancam et suppletam ap. VBERT. FOLIETAM de L. L. vsu et praestantia p. 155. seq. ed. Moshem. et FVNCCIVM de puer. L. L.

***) Recusa est haec dissertatio ad calcem Orthographiae Schurzleischianae. Vi-temb. 1707. Vid. ibi p. 52.

****) Vid. POPMAM loco mox indicando p. 432.

*****) Loca sunt Aen. II, 518. V, 475. VIII, 163. XII, 224.

*****) Vide POPMAM p. 413.

sed *Iouis, sanguen, aedis, iecinus, iiner, mortiferus* (*), *veter*. Genitiuus quorundam adiectiuorum nondum terminabatur in *ius*, nec eorundem datiuus in *i*. Dicebant ALIAE *desiderium rei* (Lucret.); *ipsa ALTERAE* narrat (Terent.); *alii modi* (Cato); *NULLAE rei* (idem); *cedo te mihi SOLAE solum* (Plaut.). Genitiuus quartae saepe erat in *i*; v. c. *aesti* pro *aestus* (PACVVIVS teste NONIO); quintae in *es*, *e* aut *i*. *Acii* CN. MATIVS citante GELLIO habet pro *acii*, Q. CLAVDIUS huius *facies* (**). Datiuus pluralis primae nondum admiserat *abus*. Dativus quartae diu fuit in *u*, quintae in *e* (***)). Genera erant diuersa; *sal* siue *sale* erat neutrum, *finis* femininum fere (****), *cancer* et masculinum et neutrum tertiae declinationis, *aeuus* masculinum pro *aeuum*. Pro *Aethiops, Arabs, Cappadox, Thrax*, enunciarunt declinatione secunda *Aethiopus, Arabus, Cappadocus, Thracus* (*****). Neutrum ab *alius* formatum est *alid*. Pro *suis* fuit *sis*; pro verbo *sum* adhibitum est *suo*, praesertim in coniunctiuo *suam* et *fuere*, vnde *forem*. Quarta coniugatio, rarius tertia (*****), futurum formauit in *ibo*. IV. *Archaismi syntactici* exemplo esse potest constructio illa antiqua consequentiae quam vocant: *absente nobis, nobis praesente*. Nomina verbalia olim rexerunt casus verbi sui. Hinc *quid tibi HANC REM curatio est* apud PLAVTVM; *VINO cupidus* apud eundem. Gerundii nominatiuus adsciuit casum verbi, vt igitur VARRONIS, CATONIS et LVCRETII exemplo dicere possis: *amandum est DEVM, POENAS timendum est* cet. Vt tandem V. ad *archaismum prosodicum* accedamus: tertia pluralis perfecti indicatiui penultimam breuem antiquitus habuit: *tulerunt, steterunt*. Contra primae ac secundae pluralis futuri exacti, quod falso coniunctiuum futuri adpellant, penultima producta est, *amauerimus, amaueritis* (*****). Vocalis brevis in
fin e

*) Solus, quod sciam, CELSVS nunc habet *mortiferus*; sed non dubium est, quin ex vsu antiquitatis ita protulerit.

**) Vide GELLIVM VIII, 14.

***) GELLIVS loc. cit.

****) NORISIVS l. c. p. 74. seq.

*****) Vid. LAVRENERGIUS voc. *Aethiopus*.

*****) E tertia non inuenio nisi vnicum exemplum *reddibo* pro *reddam*, quod tamen plus semel apud Plautum occurrit. Malim tamen cum SALMASIO et HAVERCAMPO ad Lucret. III, 705. *reddibo* deriuare a *reddire* verbo coniugationis quartae.

*****) Notum est, quosdam productionem penultimae tamquam legitimam nec necessitate quidem factam defendere, alios idem praeceptum ad con-

fine vocis interdum (Graecorum more) longa fit ob positionem duarum consonantium aut duplicis ab initio insequentis vocabuli. Exempla statim §. 2. sequentur. Omissum vides *archaismum orthoëpicum* seu obsoletum pronunciandi morem. Sed hic plerumque eodem tempore orthographicus est, cum enim quis *aula* pro *olla*, *olli* pro *illi* pronunciare soleret, aliter, quam pronunciaret, scribere non sustinuit. Si autem quarumdam litterarum pronunciatio antiquioribus reipublicae temporibus diuersa fuit a consuetudine aevi Augustei, nos hoc plerumque ignorare necesse est, qui ne Augusteam quidem pronunciationem novimus. *Archaismus Calligraphiae* siue ductuum litterarum syllabarumque, quia ad historiam linguae potius, quam ad grammaticam aut rhetoricam, pertinere videtur, non minus a nobis praetermittitur, quamquam permagnam eius utilitatem esse in re critica vltro profiteamur.

§. II.

Sequitur vt notitiae archaismorum cupidis fontes demonstremus, unde ea paretur. Pertinent huc primo loco ipsi scriptores veteres, qui scriptis suis antiquos loquendi atque scribendi modos passim intexuerunt, aut quia ipsorum tempore aliter Romana ora non loquerentur, aut vt stilum repetendis istis reliquiis grauiorem redderent. In censum veniunt non solum omnes scriptores aetatem siue auream siue virilem linguae praegressi, e quibus tamen haud paucorum fragmenta in solis grammaticorum libris supersunt. Quamobrem commendanda est lectio **FESTI**, **NONII**, **GELLII**, **MACROBII** et grammaticorum veterum a **PVTSHIO** iunctim editorum. Legendi accuratius, quorum contextus superest, **CATO** **PLAVTVS**, **TERENTIVS**. Quia autem aureae aetatis etiam scriptores haud pauca subinde immiscuerunt antiquiora, ex ipsis pari-

iunctiuium perfecti quoque trahere. Sed si cogitauerimus, apud **VIRGILIVM** et **HORATIVM** vtriusque temporis personas duas priores numquam occurrere in penultima productas, apud Virgilium potius esse *egerimus* penultima breui Aen. VI, 514. non dubitabimus illis accedere, qui has syllabas corripiendas potius, quam producendas, censent. Cf. **VRB. REGIVS** ad **OVID.** Met. VI, 357, qui ex Ennio desumptum credit hemistichium, in quo *dederis* habetur. Quod etsi illi non adsentiar, Ennianum tamen esse *dederis* patet ex **CIC.** Off. I, 12. In contrariam partem pugnant **SERVIVS** ad loc. Virg. **HEINSIVS** ad **Ouid. Her.** 7, 53. Media quadam via incedit **VOSSIVS** *Art. gramm.* II, 21.

pariter colligi potest non contemnendus antiquae locutionis apparatus. Praecipuus est **LVCRETIVS**, quem nonnulli tamen, quamvis immerito, ad antiquius aeuum referunt, cui eius distinctio similior est. Non nihil quoque in **VARRONE**, **CAESARE**, **NEPOTE**, **SALLVSTIO**, **LIVIO**, in primis autem poetis **VIRGILIO**, **HORATIO**, **OVIDIO**, **CATVLLO**, **TIBVLLO**, **PROPERTIO** superest, si nempe castigatiores eorum editiones euoluas. Sciendum est enim, vulgus editorum auctoribus suis inuenusto omnino beneficio elegantissimos archaismos veluti vestem commaculatam plerumque detraxisse (*). Quare si vulgares istiusmodi editiones adeamus, parum aut nihil antiquarum diuiciarum referre poterimus. Qui igitur purum et antiquum legere gessit *Horatium*, *Virgilium*, *Sallustium* cet. ne ille confugiat ad **MINELLIVM** eiusque simias, neque ad **FARNABIVM**, **BONDIVM**, **HARTNACCIVM** et notarum Germanicarum opifices, nec ad **MASVICIVM** quidem, **WESTERHOVIUM** atque **BAXTERVM**, sed ad **BENTLEIUM**, **CVNINGAMIUM**, **BVRMANNVM**, **HEYNIVM**, **CORTIVM**, **BROVCKHYSIVM**, **HAVERCAMPVM**, et quo quisque eorum est similior. Nos pauca tantum exempla dabimus, quam parum de Romanorum monumentis hac in re meriti sint editores quidam. Antiqui, ut paragrapho praecedente notauimus, tertiae pluralis perfecti indicatiui penultimam corripere solebant. Quod cum sciolis librariis vel grammaticastris displiceret, ex indicatio interdum fecerunt coniunctiuum aut plusquamperfectum vt metro laboranti quasi succurrerent. Sic in notissimo illo **VIRGILII** *feteruntque comae* utrobique (bis enim occurrit) multi codd. MSci. exhibent *feterant*. Item apud **HORATIUM** *Serm. I, 10, 45.* quidam *annuerunt* mutarunt in *annumerant* (**). Scripserat **HORATIVS** *Carm. III, 15. init.*

Phoebus *volente* proelia me loqui

Victas et vrbes increpuit lyra

Offendit librarium quantitas vltimae in *volente*, quam breuem putabat, cum ob sequentes consonantes *p r* longa fieret. Ergo de

B

suo

*) Non solos Romanos tali beneficio esse maectatos, vt archaismis suis denudarentur, facile potest probari. Sic cel. **SCHLOEZERVVS** in *der Probe Russi-Annalen* p. 188. queritur, in Codice istorum annalium optimo, Regiomontano nempe siue Radziuilico, indoctam quamdam manum pulcherrimos archaismos correxisse vel potius deprauasse.

) **Cuningamius *Carm. I, 9, 4.* legit *constiterunt* pro *constiterint*, vt v. *I stat pro stet*. Sed ob stare videtur v. 2 *susiuae*. Vide tamen, an locus ille hac le-

fuo addidit *m*, scripsitque *volentem*, quod nunc omnes editiones obsedit praeter vnam Cuningamii, qui solus antiquum vulnus vidit, quo non sanato aut *lyra* iungendum est cum *loqui*, quod absurdum, aut si *increpare lyra* de asperiori fidium tactu explices, quae explicatio sola vera est, nullus emergit sensus, quod non sensisse GESNERVM et HEINZIVM (in *Chrestomatica poetica*) maximopere miror. Geminus locus est III, 13, 1. vbi eiusdem regulae ignoratio fecit, vt, cum antea sine dubio lectum esset *o fons Bandusie*, pro eo cuderent *o fons Bandusiae*, non animadvertentes *e* in *Bandusie* fieri longum positione sequentis vocis *splendidior*. III, 7, 4. legitur in optimis codicibus tam scriptis, quam excusis, per archaismum *constantis iuuenem fide*. Quidam maluerunt synizesin admittere, scripseruntque *constantis--fidei*; plerique autem editorum exhibuerunt, ex ingenio scilicet, *constanti--fide*. Pulchrum et decorum est, si VIRGILIO et HORATIO, vt ceteris poetis, etiam seruetur orthographia antiqua. Hinc recte atque ordine fecerunt CVNINGAMIVS atque HEYNIVS, cum v.c. scriberent *impellere*, *contigere*, *complexus*, accusatiuos complures finirent in *is*, innumeras terminationes Graecas reducerent, omnique ex parte antiquum Virgilium et Horatium sistere conarentur (*). Nos iure nostro vtimur, cum scribimus *impellere*, *complexus*, *omnes illas naues cet.* sed Virgilium Horatiumque iure suo non minus vt ius fas est. Transeo iam ad alterum fontium genus, e quibus Archaismi noticia hauriri potest. Sunt hi recentiorum quorundam libri, quorum potissimos tantum recensebimus. AVSONII POPMAE *de vsu antiquae locutionis libri duo* adiungi solent eiusdem libris IV. *de Differentiis verborum*, quorum vtor editione Heckeliana Lips. et Dresdae 1708. emissa. Liber est plane egregius, dignusque, qui cum adnotationibus viri alicuius in his litteris exercitati separatim excudatur. Multa enim sunt, quae accuratius possint explicari

atione recepta conueniat cum altero in ode proxime praecedente, vbi BENTLEIVS, BAXTERVS, GESNERVS post alios legunt: *Quid PROPERAS? cur ODERIT? cur EQVITAT?* et adnotant ex Prisciano *oderit* esse pro indicatiuo, quod fugit proletarios editores, qui procederunt *properes*, *equites*.

*) Fortasse tamen vir vterque doctissimus in restituenda orthographia antiqua nondum omnibus satis fecit. Scribunt *Diuom*; Heynius tamen *Gradium*, vterque *aequum* (cf. CELLAR. *Orthogr.* p. 10). *Quoi* rarum vtrobique; rarius *quouis* ap Cuninganium.

plicari, locaque veterum determinatius ponenda sunt. Taceo plura nunc melius sciri, plura etiam ex eo tempore detecta, quae Popmam fugere necesse erat. Popmam sequatur EILHARDVS LVBINVS, cuius *Antiquarius sive priscorum et minus vsitatorum vocabulorum brevis et dilucida interpretatio* lucem vidit Amst. 1594. Francof. 1600. 1625. Colon. 1609. 8. Lubino recentior meliorque est IANI GVLIELMI fil. LAVRENBURGII (*) *Antiquarius, in quo praeter antiqua et obsoleta verba ac voces minus vsitatae, dicendi formulae insolentes, plurimi ritus P. Rom. ac Graec. peculiare exponuntur.* Lugd. 1622. 4. Nondum fuit, qui Laurenbergium superare conaretur, quare opus eius, pereruditum illud et laboriosum, magnum aestimatur. Auget illius pretium, quod rarius invenitur; numquam enim, quod sciam, recusum est. Meretur hic quoque liber, ut prelo denuo subdatur, limamque docti alicuius nostri aevi sentiat. Non enim mirum est Laurenbergio hic ibi humani quid accidisse, v. c. cum dicit, apud PLAVTVM *adfectare* esse pro *probrio adficere*, locumque e *Bacchidibus* citat *dispoliabula*, quibus *patrem amicoque omnes adfectas tuos*. Locus est *Att. III. sc. I.* Sed non videt vir bonus, coniugenda esse versus sequentis verba *adprobrum adpellere*, ut igitur *adfectas* hic explicandum sit *cupis*. Tamquam supplementum *Antiquarii* addidit Laurenbergius excerpta ex Glossariis Graeco-Latinis ab H. STEPHANO editis, ubi multae occurrunt voces sine dubio vel in media aurea aetate sermoni populari familiares, quarum in auctoribus nulla vola exstat, nullum vestigium. Quam insignem vero utilitatem secum ferant eiusmodi Glossaria, dici vix potest. Quare ea quoque fontibus Archaismorum merito adnumerantur. Cauto ubique opus esse horum fontium usu, non abs re est monere. Non solus Laurenbergius immerito quaedam in archaismorum catalogum retulit, quae nullus umquam antiquorum usurpavit. Scioppius (**) detexisse sibi videbatur, praepositiones *in* et *ex* apud vetustiores adsciscere genitium. Sed HEVSINGERVS in notis ad VECHNERI *Hellenolexiam* (***) post PERIZONIVM demonstrat, esse in Vitruvio, ubi quaedam istius rei exempla occurrunt, ellipsin, non rectionem.

B 2

§. III.

*) Proprium nomen erat non *Ianus*, sed *Ioannes Laurenbergius*.

***) Grammat. philosoph. p. 83. edit. Herzog.

****) In addendis ad p. 391.

§. III.

Fortasse quibusdam videri possit totum istud de cognoscendis archaïsmis negotium parum frugis habere; sed hi erunt fere, qui, quantum ad absolutam linguam Romanam studii operaeque requiratur, numquam perpenderit. Iustis talium rerum arbitris labor huic inquisitioni impensus nequaquam videbitur superuacaneus. Age ergo, recensibimus potissimas utilitates cum hoc studio coniunctas. Primas hic defero iustiori et pleniori monumentorum veterum intelligentiae. Archaïsmorum ignaris, cum in antiquum aliquem loquendi modum inciderint, aut aqua haerebit, aut, quod peius est, falsis interpretationibus abripiuntur. Ignoratio archaïsmi fecit aliquando, ut vir quidam doctus versus illum Virgilii

Libra dies somnique pares ubi fecerit horas
ubi *dies* (*) antique est pro *diei*, ita interpretaretur, ut libram horis somni dies pares fecisse diceret. Sic multi turpiter se dederunt, cum accusatiuum antiquum in *is* pro genitiuo singularis acciperent, aut *aulam auri plenam*, quae apud Plautum occurrit, de *area aliqua* interpretarentur, aut cum in Aeneide legerent

Igneus est *ollis* vigor et caelestis origo
de *ollis* culinariis cogitent.

§. IV.

Non minorem e archaïsmis fructum capiunt, qui rem criticam tractare volunt, quatenus illa in emendandis atque restituendis veterum locis versatur. Hi si vel vnum e moribus antiquae loquendi non nouerint, periculum est, ne loca sana corrumpant, dum medicinam iis adhibere laborant. Contra si quis accuratiore imbutus est antiquitatis notitia, facili negotio ad coniecturas verissimas perducetur. Apud VIRGILIVM Ecl. IV. sub finem inepte legebatur *qui non risere parentes*. Errorem inde ortum iam dudum obseruarunt eruditi, quod antique *quoi* pro *cui* scriberetur. Ex illo *quoi* factum est *qui*, quod commodum sensum non fundit. Obseruauerat CORTIVS, in antiquis marmoribus saepe scribi *set* pro *sed*. Cum igitur in epistola BRVTI ad Ciceronem (inter huius epistolas ad diuersos 10 libri XI) lectionem MStorum inueniret *fit an hoc temporeis videantur dici causa malle me*, docte sane (nisi vere) legendum censuit *set* (an hoc tem-

*) Vid. GELLIUS loco supra citato.

temporis videantur dicis causa?) malle me, quae emendatio illi sine dubio in mentem non venisset, nisi antiquam scripturam *set* pro *sed* habuisset cognitam.

§. V.

In explicandis autem veterum auctorum monumentis et in restituendis genuinis eorundem lectionibus omnino ratio habenda est aetatis, qua quisque vixit, ne fortasse archaismos in illis quaeramus, qui ipsorum tempore aequae ac Carmentae, Euanthri matris, locutiones obsoleti atque ignoti essent. Cui vel per somnium in mentem venire possit, *omnis* in scriptoribus historiae Augustae ita explicare, ut accusatius pluralis esse dicatur? Attamen interdum fieri solet, ut in scriptoribus posterioris aevi commentatores explicationes proferant, quae tunc demum ferri possint, si scriptor alio plane tempore vixerit. Legimus apud EUTROPIUM ab initio statim historiae Romanae, Romulum inter pastores *latrocinatum* fuisse. ANNA FABRI, postea *Dacurio* matrimonio iuncta, quae Eutropium in usum Delphini edidit, ad hunc locum adscribit, quae sequuntur: „*Latrocinari* non est, quod vulgo dicimus *voler*, *brigander*: si ita esset, contrarium plane scriberet Plutarchus, qui ait Romulum et Remum in raptores et viarum obsessores impetum fecisse, et eorum iniuriam finitimis arcuisse. Nimirum *latrocinari* nihil aliud est, quam militare, vitam in armis degere. Plaut. in Mil. Glor. act. II. sc. vlt.

An quia *latrocinamini*, *arbitramini*,

Quiduis licere facere vobis verbero?

et Gracchus in Nonium (*) *qui apud regem in latrocinio fuisse.*“ Sed quaeso, si Eutropius usus esset significatione verbi Plautina, num quis id tam cito olfaceret, postquam pluribus e seculis ilia iam euanuisset? Quidni potius dicamus eum contradicere Plutarcho, etiamsi male id fiat? Sunt inter criticos, quibus regulam de aetatibus archaismorum non satis occinere queas; ita obsoletiora obtrudunt scriptoribus, quos a fortuna sibi oblatos acceperunt secandos atque vrendos. Horum facile antesignanus dici potest FRANCISCVS GVYETVS, cuius in Terentium animaduersiones audacissimis coniecturis repletae sunt, quibus admissis Terentius integro seculo paene fieret vetustior. Statuendi ergo sunt archaismo cuique certi quasi fines temporis, ultra quos progredi eum nefas est. *Olli* et *aurai* Virgilio concessa

B 3


*) Quid sibi vult Gracchus in Nonium? Dicendum erat Plautus apud Nonium.

cessa sunt, Horatio non amplius. Multa, quae Horatio condonamus, veniam in Ouidio haudquaquam inuenient. Ergo et nosmetipsos legibus nonnullis adstrictos esse oportet, quas migrare piaculum sit. Non eadem nobis licebunt, quae Plauto, Terentio, Virgilio licita fuisse constat. Ne Ciceronem quidem in omnibus tuto imitabimur. *Dignor* illi vel plerumque vel semper significatione gaudet non actiua, sed passiuua. Nos satius erit illo verbo non nisi deponente uti. Scio equidem, quam paene omnia sibi licere arbitrentur nonnulli, quod praefertim in passiuo deponentium vsu fieri solet. Si quis v. c. *consolari* pro *consulationem admittere* posuit; statim recurrit ad lexicon aut antiquarium. QUINTVS METELLVS, cum in exsilio esset, ad Cn. et L. Domitios, referente Gellio scripsit: *At cum animum vestrum erga me video, vehementer CONSOLOR*; et Priscianus illud ASINII POLLIONIS adfert: *Sed cum ob ea, quae speraueram, dolebam, CONSOLABAR ob ea, quae timui* (*). Sed quid Quinto Metello et Asinio Pollioni cum hominibus seculi decimi octauo post Christum natum? Relinquamus ista auctoribus suis, teneamusque ea tantum, quibus per omnia adultae Latinitatis secula optimi quique uti non dubitarunt. Oratores tamen atque poetas non ita in arctum redigamus. Liceat illis, quod et veteres sibi concessum esse putarunt. Seligant verba non nimis vetusta (**). Tandem semper cogitent, nisi ex Archaismis insignis aliquis vsus ad lectorem perueniat, melius iis abstineri. Sic imitabuntur Virgilium, qui cum minus vetuste (cum Terentio) dicere posset *Tros Rutulusue SIET*, semel antiquius maluit *Tros Rutulusue FVAT*. Quam pulchrum, quam decorum, quam Ioue dicente dignum!

Abrum-

*) Vid. DIETERICI *Antiquitates sacras* p. 27. a.

** QVINCTILIANVS I, 10: Vt nouorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime noua.





Abrumpimus hic filum commentationis, quod redordiamur, cum primum opportunitas data fuerit, et iam ad ea dicenda pergimus, quorum occasione haec adhuc disputata a nobis sunt. Ex auctoritate amplissimi senatus vrbici dies huius mensis octauus cum nono destinati sunt iustrationi publicae iuuentutis in Lyceo nostro ad altiora praeparandae. Vbi primo loco monendum est, rem ita tulisse, vt examen ad haec vsque tempora autumno adpropinquante habitum nunc in veris initium circa sacra paschalia reiiceretur, quod an in posterum seruandum sit, non minus a miris rerum vicissitudinibus sine dubio pendeat, quam nunc factum est. Deinde examini huic iuncta erit alia non minor sollemnitas. Amplissimus enim senatus numquam inhonoros sinens, quorum indefessa in officiis sibi demandatis expertus est studia, virum antea clarissimum nunc plurimum quoque reuerendum, **M. IOANNEM GVSTAVVM HERMANNVM**, Conrexturatu Lycei nostri per decem annos et quod excurrit cum laude functum, ad ministerium ecclesiasticum in templo vrbis inferioris Nicolaitano prouexit, cuius benignitatis sicuti ipse viri pl. reuerendi gratissimam mentem semper fore memorem scimus, ita et ipsi pro eadem patrono de ecclesiarum scholarumque statu semper optime merito summam et habemus et agimus gratiam, qui ita sperare iubemur, fore vt subinde doctores in palaestra scholastica probe exercitati dignum exantlatis laboribus praemium ferant. In abeuntis locum adscendet, quem magistratus adhibito in consilium **EPHORO GRAVISSIMO ET SVMME REVERENDO** Conrextoris spartae admouendum duxit, vir clarissimus atque doctissimus, **IOANNES GOTTHELF KRVEGERVS**, scholae per annum tempus subrextor peregregius. Subrextoris denique prouinciam rursus regendam nanciscetur Candidatus doctissimus **IOANNES CHRISTOPHORVS PLOTHIVS**, Lagouia Neomarchicus, Lycei olim alumnus semper diligentiae omnisque virtutis gloria celebratissimus, quem nobis iure meritoque quasi receptum atque restitutum gratulamur. O do agendorum hicerit. Die VIII. Aprilis ante meridiem rextor classem vtramque superiorem producet, profectuum in Graecorum Romanorumque scriptorum explicatione scientiisque nonnullis specimina edicturam, quo facto iuuenis ornatissimus, **I. THEOPH.**

LANGENFELD Francof., primi ordinis ciuis, orationem Latinam habiturus est in laudem benefactoris ac legatoris optimi, b. I. GODOFR. REIMANNI. Post meridiem auditores eorundem ordinum demonstrabunt, quid docente conrectore profecerint. Ipse autem vir pl. reu. post absolutum interrogandi laborem Lyceo valedicet, eademque opera aget *de meritis praeceptorum scholasticorum erga iuuentutem*. Die insequenti reliquorum ordinum tertii ad septimum et ante et post meridiem documenta edentur. Tandem die decimo horis antemeridianis nouorum praeceptorum inäuguratio fiet. Reätor verba faciet *de praestantia doctoris scholastici sorte sua contenti*, Conreätor recens electus *de patria et rege summo ciuium bono* loquetur, postremo subreätor *de fructu uberrimo ex labore scholastico in docentem redundante* acturus est. Deum O. M. precamur, vt omnia in summi nominis sui gloriam, reipublicaeque ac iuuentutis scholasticae emolumentum cedere iubeat. P. P. d. VII. Apr. a.

MDCCCLXXVII.







LANGENFELD Francof., primi ordinis ciuis, orator
 tinam habiturus est in laudem benefactoris ac legatorum
 I. GODOFR. REIMANNI. Post meridiem auditores e
 dinum demonstrabunt, quid docente correctore p
 autem vir pl. reu. post absolutum interrogandi
 valedicet, eademque opera aget *de meritis pra*
corum erga iuuentutem. Die insequenti re
 tertii ad septimum et ante et post meridiem
 Tandem die decimo horis antemeridianis
 rum inauguratio fiet. Rector verba fac
scholastici sorte sua contenti, Corrector
et rege summo ciuium bono loquetur
fructu uberrimo ex labore scholastico
 rus est. Deum O. M. precamur, vt
 gloriam, reipublicaeque ac iu
 tum cedere iubeat.

